

IOANNIS RAPHAELIS  
Comitis à Tarnow, Stud. Eloquen:  
PHALEVCVS,  
IN

*Mercurium ( si Dijs placet ) Gallobelgicum rerum ge-  
starum, huius seculi scriptorem mendaciss.*

M. Tullius lib. 2. de Orat.

**Q***uis nescit primam esse Historie legem, ne quid falsi  
dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat:  
ne qua suspicio gratie sit in scribendo, ne qua simultatis.*

Mendacissime Mercuri Nepotum,  
Furacissime Mercuri Nepotum,  
Quot sunt, quotque fuere Gallicorum,  
Quot sunt, quotque fuere Belgicorum;  
Quotque post alijs erunt in annis,  
Si qui post alijs erunt in annis,  
Si qui retro alijs erant in annis.

Nam non possibile est scelestiorem,  
Qui furuus, furiat scelestiori  
Ore, dente, maleuolentiâque;

Nam non possibile est ferociorem  
Qui ferociat efferaciori  
Cruditate, in opes beatiorum  
Gentium magis; ac magis proteruum,  
Qui proteruiat impudentiore  
Diritate, stylo, proteruitate, in  
Æquitatis amabiles Quirites;  
Nec qui proruat inquinatiori,  
Cæno diuitias amæniores,  
Gentis Sarmaticæ, potentis omni  
Famá, posteritatem in æuiternam,  
Futurum dare posse sæculum vt tu es!  
Elapsumque dedisse sæculum vt tu es!  
Per mendacia, per dolosque linguæ,  
Defædare genus POLONIARVM,  
Iustum, magnanimum, fidele, forte,  
Ausus es scelerate parricida?

Ausus es calamo insolentiori,  
Ausus es calamo efferaciori,  
Ausus es calamo impotentiori,  
Euitare bonam ò ferox fatelles,  
Euirare piam, impie ò lanista,  
Viscerare sacram ò Tyranne GENTEM?  
Ingentem meritis in Orbe gentem!

Stupen-

Stupendam pietate in Orbe Gentem!

Potentemque viris in Orbe Gentem!

Quam BELLONA Parens tuetur armis,

Quam MARS purpureus tuetur armis,

Quam MINERVA sagax tuetur armis;

Armis eloquij suauioris,

Armis consilij potentioris,

Armis ingenuæ eruditionis.

GALLOBELGICE trux, vafer, cruenta,

Excors ardelio, quid inde lucrì

Effrons Morio, quid capeſſis inde

Spei? perfidus vt niſi ſis omni

Seclo proditor, elegantioris

Gloriæ, Fidei, Innocentiæque;

Fortitudinis, Æquitatis hoſtis:

Hoſtis Hiſtoriæ ſonantioris

Bono Nomine, prosperaque Famâ.

Nulla Sanguinis vtriusque Gentis

Ineſt vena tibi. Alma ſempiternum

Indixit tibi Veritas, ab omni


Cætunobilium reſeſſum. Inertes

Auſer ſarcinulas, miſerrime exul

Exſpes, perdite, nec dolende cuiquam,

Proſcripte Hiſtoriæ ſereniori

Albo, iam tenebris obrute vastis,  
Blattis, & tineis, manebis esca:  
Ad Græcas tibi nam fidem Calendas  
Arbitri solidæ elocutionis  
Dabunt. Conscelerate veritatis  
Mastix, vappa vaferrime Æquitatis,  
Infanissime fannio innocentum,  
Impurissime Natta Morionum,  
Obscurissime talpa regionum,  
Fallacissime prædo Principum Orbis.  
Ignauissime Mercuri Nepotum  
Perditissime Mercuri Nepotum;  
Quot sunt quotque fuere Gallicorum;  
Quot sunt quotque fuere Belgicorum.



PRUSSIA